

Ium comminuatur, cuius Drach. i. aut aliquid minus exhibetur, interpositisque paucis diebus repetitur. Si morbus non superetur spes in angusto, nam maximum juvamen & levamen afferre solet. Cavendum tamen & prospicendum, ne vomitoria adhibeamus illis, qui corpora habent debilia, timida, enervata, thoracem angustum, organa deglutitioni & respirationi destinata, læsa.

D I U R E T I C A cacochymicis præcipue usum conferunt, & antidotis ut plurimum miscentur: ut: asarum, scoridum, valeriana. Singularissime autem Spir. Salis.

D I A P H O R E T I C A. Aquæ Theriacales, Aq. Chamoillæ, Cardui benedicti, Ro de Ebulo & Sambuco. Succus Urticæ. Nobilissimum autem in hoc affectu est mistura simplex, Drach. i. pondere propinata.

Venenum hoc vincunt maximè **A L E X I P H A R M A C A.** Theriaca Eupatoria & Mithridatia. Lapis Bezoar. Unicorn. CC. Terra sigillata. Bolus Armenus. Hisce omnibus potentior habetur, & à chymicis commendatur, Sal serpentis, vel Oleum Martis, ad gutt. X. cum aquâ theriacali, vel si ad sit febris, cum succo limonum exhibitum.

E X T E R N A etiam sua virtute non carent, inter quæ referri possunt, ea quæ veneni transitum, in partibus, ubi ligatura administrari nequit, impediunt: & sunt constrictiva, ut Balaustia, Bolus Armenus, Sangvis Draconis, aliaque plura, sic cum ovi albumine, locis vulneri proximioribus, imponantur. Virulentam materiam extrahunt acria, attrahentia superius sub cauteriis potentialibus denominata, quibus addimus Spir. Salis tanquam maximum in hoc affectu alexipharmacum, si vulnus in principio eo lavetur. Eadem ratione alii confugiunt ad **B A L N E U M** aquæ marinæ. Extrahunt quoque venenum **E M P L A S T R A** ex cerâ, pice nigrâ, opoponace, galbano, axungiâ vervecinâ, bdellio, cum oleo vel melle parata, item quæ sunt ex mithridatio, pulvere gentianæ & aliis. Quæ omnia remedia in principio adhibenda, alias cum virus ad interiora pervenerit, generosa medicamenta expectationi non satisfacient.

SPE.